Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sertum locum: hoc tibi præcipio per uirtutem et mijsterium omnium istorum uerborum, quibus es adiuratus exire, nunq̃ rediturus, nec alicui nociturus, sed semper in perpetuo igne permansurus, in nomine patris, et filij. et spus sancti: Amen.

Nota: Cum spiritus est in motu recedendj tunc pulsetur campanella.

O uos doemones in famula ista habitantes, tentatores Christianorum, insensati Diabolj, superbi, luxuriosi, insipientes et deiecti á gratia dei, et omnium fidelium christianorum: per illum uos exorciso, qui propter nos descendit de coelo, et incarnatus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, ut exeatis de famula ista. N. Item per illum uos exorciso et coniuro, quem Gabriel Archangelus annuntiauit Mariæ: dicens: Aue Maria gratia plena dominus tecum, Spiritus sanctus superueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi: per ipsum te exorciso, cuius signum in coelo apparuit, quem pastores uiderunt, et quem tres Reges adorauerunt, et ei tria munera obtulerunt, aurum, thus, et mirram: etiam quem angeli et archangeli collaudant, ipse uos percutiat et proijciat in infernum, et incendat uos igne inextinguibili ubi sine fine in perpetuum ardeatis, nisi mox feceritis, quæ uobis præcipio, exite, exite, exite, sancta trinitas et inseparabilis unitas eijciat